

esse noscuntur. Et nec in minore herodii genere hæc intelligentia abhorret a vero, cum dicitur : *Herodii domus dux eorum*. Quia juxta Apostolum, Christus, cum dives esset propter nos pauper factus est, ut nos ipsius inopia ditaremur (*II Cor. viii, 9*). Et propheta de illo dicit : *Vidimus eum et non erat aspectus*, et cætera, usque dum, *nec reputavimus eum* (*Isa. LIII, 3*). Qui nobis reliquit exemplum ut sequamur vestigia ejus. Cujus herodii domus dux est passerum, id est mundi contemptorum : quia sæpe etiam in sæcularibus, in quorum cordibus per fidem habitat Christus, et in quorum opere ipsius lucent exempla, non solum ecclesiastici vel monachi, in subditis prælati, in privatis regia potestate præcelsi, videre valent quod imitentur : verum et unde se reprehendant et erubescant, quia sunt interdum minores merito, qui sunt majores nomine, et laudabiliores sanctitatis infructuoso honore. Unde propheta dicit : *Erubescet Sidon. Ait enim mare, fortitudo maris dicens* (*Isa. xxiii, 4*). Per Sidon quippe, religionis nomine quasi quadam fortitudine muniti et decorati, per mare autem sæculares intelliguntur, qui ut verus herodius velocitate volatus et magnanimitate virtutis, quasi capiens volucres semen juxta viam comedentes, id est demones verbum de corde audientium tollentes ne credentes salvi fiant, coercet et comprimit, ne tantum possint tentare homines, velut docet : *Discite, inquit, a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth. xi, 29*), parvi sunt apud se in corde, et apud homines laude. Qui etsi cura rei familiaris ac terrena fragilitate aggravati, quando in hac vita sunt sine culpæ contagio esse non possunt, tamen cum eis inest quod

deprimat, multa virtus bonæ actionis suppetit quæ illos in superna sustollat. Unde cum maximo timore ac tremore, cumque maxima sollicitudine continue considerare atque timere debemus, ne nos qui plus cæteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur, ab auctore mundi gravius inde judicemur. Cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad servendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligationem esse conspicit in reddenda ratione. Sciens quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur, et juxta Scripturæ sententiam : *Potentes potenter tormenta patientur, exiguo conceditur misericordia* (*Sap. vi, 7*).

Accipite ista succinctius dicta. Si autem jusseritis, et de hoc et de aliis Scripturæ sacræ sententiis, et pro imposito ministerio, et pro debita vobis obedientia, quoniam apostolica auctoritas obedire in Christo et subjectos regi nos esse debere commendat, sciens scriptum vobis : *Interroga sacerdotes legem meam* (*Agy. ii, 12*) ; et nobis : *Audiens ex ore meo, sermonem, nuntiabis eis ex me* (*Ezech. xxxiii, 7*), quæ ad salutem et instructionem eruditionis vestræ proficere poterunt, libentissime quantum ipse dederit, qui fideli servo promittit : *Aperi os tuum, et ego adimplebo illud* (*Psal. lxxx, 11*), et verbis et litteris disserere et vobis explanare curabo.

Tempora concedat Christus felicia regni  
Hujus et æterni rex, tibi chare mihi.  
Floreat æternis tecum sapientia donis,  
Ut tibi permaneat laus, honor, atque salus.  
Dextera te Christi semper defendat ubique.  
Vive Deo felix, et sine fine vale.

## VI.

# AD EPISCOPOS ET PROCERES PROVINCIAE RHEMENSIS

## DE FIDE CAROLO REGI SERVANDA

*Cum Ludovicus iterum Caroli fratris sui regnum, illo absente, impeteret anno 855.*

(Apud eundem, ex edit. Mogunt. J. Busæi.)

**HINC MARUS** episcopus ac plebis Dei famulus dilectis fratribus et venerabilibus episcopis Rhemorum dioceseos.

**CAP. I.** De communi anxietate nostra, de qua exiguitatem meam dilectio vestra consuluit, proponens mihi verba sancti Bonifacii papæ, quibus dicit ad Hilarium Narbonensem archiepiscopum, exponens capitulum Nicæni concilii de privilegiis singularum provinciarum : « Advertat, inquit, charitas tua, adeo nos canonum præcepta servare, ut ita constitutio quoque nostra diffiniat, quatenus metropolitanus sui unaquæque provincia in omnibus rebus ordinationem semper exspectet, » quæ donante Domino ex doctrina Patrum nostrorum sentio scriptis vestræ charitati respondeo. Sanctus Ambrosius in epistola

ad Theodosium Augustum inter cætera dicit (*epist. 29*) : « Non est imperiale, libertatem dicendi negare, neque sacerdotale, quid sentias non dicere. Nihil enim in vobis imperatoribus tam populare et tam amabile est, quam libertatem etiam in his diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Siquidem hoc interest inter bonos et malos principes, quod boni libertatem amant, servitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines quam quod sentiat non libere pronuntiare. Siquidem scriptum est : *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar* (*Psal. cxviii, 46*). Et alibi : *Fili hominis, speculatorem te posui domus Israel* (*Ezech. iiii, 17*). In eo, inquit, ut si avertatur justus a justitiis suis

et fecerit delictum quia non distinxisti ei, id est non dixisti quid sit cavendum, non retinebitur memoria justitiæ ejus, et sanguinem ejus de manu tua exquiram. Tu autem si dixeris justo ut non peccet, et ipse non peccaverit, justus vita vivet quia dixisti ei, et tu animam tuam liberabis.» Et Dominus in Evangelio : *Qui, inquit, me erubuerit et meos sermones, hunc Eilius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum (Luc. ix, 26).*

CAP. II. Igitur dicamus libere, Domini sacerdotes, quæ dicuntur notabilia et reprehensibilia de rege nostro, et quæ dicuntur laudabilia promissa de fratre ejus domno rege Ludovico, qui venturus asseveratur in hoc regnum fratris sui, ut quæ frater ejus in eo perperam egit ipse corrigat, et quod per negligentiam frater ejus admisit, ipse per diligentiam emendare procuret. Quatenus si rex noster ea legerit quæ de illo dicuntur, si vera sunt illa corrigat, si autem vera non sunt, de cætero admittere caveat. Si autem et frater ejus domnus Ludovicus ea legerit, quæ de fratre illius dicuntur notabilia caveat, et quæ de illo laudabilia promittuntur exsequi studeat. Nos autem episcopi et regni primores, secundum ordines nostros, in majorum doctrina seu exemplis, quid nobis sequendum, quidve cavendum sit, conspiciamus.

CAP. III. Et prætermisissis aliis vicissitudinibus altercationum de regno, inter principes nostros temporibus nostris habitis ante hos sexdecim annos, quando rex noster domnus Carolus et domnus Ludovicus cominus, præparatis utrinque armatorum cuneis et erectis vexillis, secus locum qui Breona dicitur convenerunt, populus qui cum domno Carolo erat ex parte maxima illum reliquit, sicque eundem regem Carolum pridie Idus Novembris inde abire coegit. Tertio autem mense Carolo revertente, qui cum domno Ludovico erant, ab eo separati, et solitario pene relicto, insequente illum Carolo, de pago Laudunensi ad propria redire destitutione sua fecerunt. Nunc autem, quia domnus Carolus nos et regnum istud sponte reliquit et in Italiam perrexit, domnus noster Ludovicus multorum oribus accipere regnum istud hostiliter venturus asseveratur, et domnus Carolus bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus, dispositas, et eisdem aciebus primores deputatos ad resistendum fratri suo, ne regnum illius occupare valeat, habere dicitur, qui jussione uxoris suæ, cum filio suo Ludovico, regnum suum ab omnibus tam Christianis quam paganis hostibus, cum consilio et auxilio episcoporum ac cæterorum consiliariorum suorum defendant, donec ipse adepto regno ad quod accipiendum ivit, auxiliante Domino revertatur in pace.

CAP. IV. Qua de re nobis episcopis satis agendum est, ne in consilio, quod a nobis reipublicæ ministri secundum domni régis mandatum petierint, a nostro ministerio excidamus, et ne de auxilio, quantum Deus unicuique nostrum posse dederit, abscedamus, sequentes sententiam Domini dicentis : *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*

(*Matth. xxii, 21*). In auxilio igitur præbeamus arma divina, jejunia, orationes, lacrymas, implorationes ad sanctorum suffragia, et auxilia divina per nos nostrasque parochias, ut non effundatur sanguis Christianus seditionali certamine inter fratres et cognatos atque propinquos, sicut jam fuisse factum in Fontanido dolemus, et de omnibus hostibus tam Christianis quam paganis, per sanctorum merita et intercessionem, det Dominus propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ suæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

CAP. V. Si enim contra paganos bellum immineret consilium daremus bellatoribus nostris, et hortaremur eos adhortationibus, quas in litteris ecclesiasticis legimus. Nunc autem, quia civile, et plusquam civile bellum inter Christianos instare opinamur, Patrum innitentes vestigiis, videamus quid ad hæc sit nobis agendum. Sanctus Ambrosius in epistola ad sororem, suam historiam persecutionum suarum narrans, inter cætera dicit (*epist. 33*) : « Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ. Illic nuntiatum est mihi, comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent ut vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissime flere, et orare in ipsa oblatione Deum cœpi ut subveniret, ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret, certe ut meus sanguis pro salute non solum populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur. Quid multa? Missis presbyteris et diaconibus eripui injuriæ virum. »

CAP. VI. Paria et beatum Augustinum de Donatistis fidelium persecutoribus sensisse legimus. Et sanctus Gregorius in homilia Evangelii (*hom. 27 in Evang.*) : « Una, inquit, et summa est probatio charitatis, si et ipse diligitur, qui adversatur. Hinc est, quod ipsa Veritas et crucis patibulum sustinet, et tamen ipse suis persecutoribus affectum dilectionis inpendit dicens : *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt (Luc. xxiii, 34)*. Quid ergo mirum si inimicos diligant dum vivunt, quando et tunc diligit magister inimicos cum occiditur? » Sic et Stephanum Romanæ sedis pontificem egisse in gestis ejus legimus, quando ad Pippinum in Franciam venit pro S. Petri justitiis super Haistulphum regem nefandissimum obtinendis. Nam cum inclytus rex Pippinus nec precibus, nec munerum oblationibus posset obtinere apud præfatum regem quiddam de sancti Petri justitiis, exercitum adversus eum movit. Sed papa sanctus, ne sanguis effunderetur Christianorum, admonitiones et obsecrationes apostolicas exhibuit, et apud domnum Pippinum obtinuit. Sed Haistulfus superbia elatus super Francos, qui ad custodiam propriarum secundum jussionem Pippini

erant, fidens in sua ferocitate subito  
as, super eos diliculo cum plurimis  
us. Sed justus Judex Dominus Deus  
oster Jesus Christus victoriam paucis-  
buit Francis, et multitudinem illam  
um superantes trucidaverunt, et Hai-  
i arripuit, et a Pippino superatus Deo

chibeamus etiam unusquisque nostrum  
ontra omnes hostes sanctæ Ecclesiæ et  
tri milites de ecclesiis nostris, qui cum  
d hoc deputatis dimicent, prout Domi-  
dederit, et cooperari dignatus fuerit,  
erit voluntas in cælo sic fiat, Consilium  
usmodi congressione, si a nobis requi-  
res acierum, quia scriptum est : *Domini*  
*onsilia gentium, reprobant autem cogita-*  
*rum, et reprobant consilia principum,*  
*sem Domini in æternum manet* (Psal.  
od salubrius illis consilium dare pos-  
quod Dominus in Evangelio mons-  
nequimus. Quis, inquit, *rex iturus*  
*llum adversus alium regem, nonne sedens*  
*ut, si possit cum decem millibus occurrere*  
*viginti millibus venit ad se? alioquin*  
*ge agente legationem mittens rogat ea*  
*ut* (Luc. XIV, 31).

Quia longe ante nos de his qui anxie-  
gentibus malis premuntur, etiam apud  
um vulgi sermone proverbium : *Inter*  
*et incudem*, legimus, et nos de frequen-  
rum infestationibus et cæteris anxietatibus  
diutius premimur, verbis taceamus, et  
suspiriis exclamemus. Inter duos reges  
, de hoc regno in quo degimus sata-  
ut inter malleum et incudem, episcopi  
im, quia secessit longius in regnum  
iter, in adventu superventuri regis, ec-  
as quaquaversum nemine persequente,  
ium, ut dicitur, inferre moliente, fugien-  
imns, et nos ad superventuri tutelam  
tulimus, præsertim, cum superven-  
fertur, dicat se non venire ad regnum  
, sed ad destitutum restituendum et  
a, et pacem ac justitiam in eo procuran-  
æ Ecclesiæ ac ejus sacerdotibus debi-  
n ad defensionem exhibendam, et nos  
s commissæ periclitari videbimur. Nos  
a nou pastores sed merceuarii, et apud  
id homines judicabimur : oves autem  
issæ, quia sine pastore errabunt vel  
, ei facultates ecclesiasticæ, quibus  
ebent, velut relictæ sine custodibus,  
ic vastabuntur, si defuerit virtus prin-  
potestate defendantur, vel custodes,  
us et earum alimoniis principi et de-  
tori Ecclesiæ suggerant.

i autem rex noster reversus fuerit, in-  
s arguet, sicut quosdam fecit, quando a

A Breona pergens, et non desolatos relinquens, post  
aliquod tempus reversus fuit : licet causa nostra a  
causa illorum, quos tunc redarguit, satis habeatur  
dissimilis. Nam nos quacunque ducti cupiditate, vel  
turpi lucro illecti, regem alium in regnum istud, si-  
cut illi fecerunt, non invitavimus, neque regem no-  
strum reliquimus, et alteri nos absque necessitate  
contulimus, sed a rege nostro relictæ, et alterius po-  
testati expositi, nos judicio regis regum exspectan-  
tes commisimus. Sed inter hæc et undique nos  
circumstant angustiae. Si enim relictæ a rege nostro  
supervenientis regis potestati nos contulerimus,  
mors nobis est; si autem non egerimus, Ecclesiarum  
nostrarum et ovium nobis commissarum custodiæ  
invigilare nequibimus, et aut nunc in manum su-  
perventuri regis, aut si rex noster reversus, fuerit,  
in manus illius incidemus.

B CAP. X. Et quid ad apostoli Joannis verba respon-  
debimus dicentis : *Qui dicit se in Christo manere,*  
*debet sicut ille ambulavit et ipse ambulare* (I Joan. II,  
6); qui dicit : *Sicut novit me Pater, et ego agnosco*  
*Patrem, et animam meam pono pro ovibus meis?* (Joan.  
x, 15.) Ac si aperte, inquit Gregorius (*hom. 14 in*  
*Evang.*), dicat : In hoc constat quia et cognosco Pa-  
trem et cognoscor a Patre, quia animam meam pono  
pro ovibus meis, id est, ea charitate, qua pro ovibus  
morior, quantum Patrem diligam ostendo. Et idem  
præfatus apostolus Joannes dicit (I Joan. II) : *Qui*  
*dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit,*  
*mendax est.* Melius est igitur nos incidere in manus  
hominum, si Deus ita permiserit, quam derelinquere  
legem, id est mandatum Dei, ut non deseramus  
oves nobis a Deo commissas, qui animam suam  
posuit pro ovibus suis. In quo ostensa est nobis  
via, qua sequamur, apposita forma cui imprimamur.  
Debemus ergo et nos, si necesse fuerit, pro  
fratribus nostris animas nostras ponere et non  
oves nostras deserere.

C CAP. XI. Nunc autem qualiter regnum istud undi-  
que a Paganis et falsis Christianis, scilicet Britonibus,  
sit circumscriptum, et ut ita dicamus, viscerali com-  
motione de his qui aliquandiu in eo fideles ac utiles  
visi fuerant existitisse, sit perturbatum : et quæ con-  
ditio de regnis nepotum suorum inter illum et fra-  
trem ejus sit sacramento firmata, utinam aut igno-  
raretur, aut inter eos ipsa conditio servaretur, et  
neque discordia Ecclesiarum præsules, et servi ac  
ancillæ Domini inquietarentur, et Christianus popu-  
lus affligeretur, ac inter regni primores viscere  
bellum insurgeret, et rapinæ ac deprædationes rerum  
ecclesiasticarum, atque divitum seu pauperum con-  
flagrarent. At si pro his dictis (quæ non pro infide-  
litate principum nostrorum ad suggillationem eo-  
rum, sed pro periculo eorum cum dolore ac gemitu  
dicimus) nobis sacerdotibus vis aliqua a quocunque  
fuerit illata, sicut quidam Sapiens dixit, feramus  
æquo animo, et utamur foro, donec invicta felicitas  
finem malis imponat.

D CAP. XII. Scimus enim diceute Apostolo, quoniam

*Omnes qui pie volunt vivere persecutionem patiuntur* (II Tim. III, 12). Sed (Rom. VIII, 18) *non sunt condignæ passionis hujus temporis ul superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et Dominus beatos eos dicit *qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (Matth. V, 16). Neque enim dubitandum est quia beatus Joannes Baptista, ut pro Redemptoris nostri quem præcurrebat testimonio, carcerem et vincula sustinuit, pro ipso et animam posuit, cui non est dictum a persecutore ut Christum negaret, sed veritatem reticeret, et tamen pro Christo occubuit. Quia enim Christus ipse ait : *Ego sum veritas* (Joan. XIV, 6), ideo utique oro Christo, quia pro veritate sanguinem fudit, constanter dicens regi : *Non licet tibi habere uxorem viventis fratris tui* (Marc. VI, 18). Et nos, si quia dicimus, quod et a plebeiis conqueri audimus, quoniam non oportuerat regem nostrum regnum istud, a paganis undique circumdatum, et intra commotum et non solidum, inconsulte dimittere, ac quos regendos et defendendos iudicio Dei suscepit, et qui ad hoc illi se commendaverunt, relinquere ac deserere, et quia dicimus, non debere fratrem suum regnum ejus, post præstita inter eos sacramenta quæ rex noster, quantum ex ipso est, servare se velle dicit, invadere, aliquod incommodum passi fuerimus, patienter illata portemus pro Christo, quia pro veritate illa sustinebimus, imitatores pro modulo nostro eorum qui *ibant gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (Act. V, 41).

CAP. XIII. Verum, quia, ut prædiximus, inter malleum et incudem positi sumus, et quod inter malleum et incudem ponitur, aut frangitur vel conquassatur, vel producitur et formatur, sicut in Numerorum libro legimus præcepisse Dominum Moysi (Num. X, 1), ut faceret tubas argenteas inter malleum et incudem productiles, quæ clangore suo ad solemnitates Dei populum exercitarent, atque audientium animos ad bellum accenderent. Et sanctus David dicit : *Psallite Domino in tabis ductilibus* (Psal. XCVII, 6). Et apostolus dicit : *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem Scripturarum spem habeamus* (Rom. XV, 4). Et : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem* (Heb. XIII, 7), Quæramus tubas argenteas inter malleum et incudem productas. id est eloquia Domini, quod est *argentum igne examinatum, purgatum septuplum* (Psal. XI, 7), relucentes et virtute vigentes, quorum doctrina ad bellum necessarium et imminens discamus in perturbationis nostræ angore quid nobis agendum sit, ne inter malleum et incudem frangamur vel conquassemur, sed producamur atque formemur, ut per eorum vestigia inoffenso pede gradientes non aberremus.

CAP. XIV. Sanctus Ambrosius in libello quem obtulit Valentiniano imperatori contra Auxentium, inter cætera ita dicit ad locum (ep. 32) : « Utinam impera-

tor non denuntiasses ut quo vellem pergerem. Quotidie prodibam, nemo me asservabat. Debuisti me quo volueras destinare, quem ipse omnibus offerebam. Nunc mihi a sacerdotibus dicitur, non multum interesse, utrum volens relinquant an tradas altare Christi: cum enim reliqueris, trades. » Et hinc in sermone ad populum in Ecclesia (Orat. in Auxentium, lib. V Epist. : « Video vos præter solitum subito esse turbatos atque observantes mei, Miror quid hoc sit, nisi forte quia per tribunos me vidistis aut audistis imperiali mandato esse conventum, ut quo vellem abirem hinc, et si qui vellent sequendi potestatem haberent. Metuitis ergo ne Ecclesiam desererem, et dum salutem meam timeo, vos relinquere? sed quid et ipse mandaverim potuistis advertere, deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi, quam sæculi hujus imperatorem timerem. Sane si me vis aliqua abduceret ab Ecclesia, carnem meam exturbari posse, non mentem : paratum me esse, ut si ille faceret quod solet esse regis potestatis, ego subirem quod sacerdotis esse consuevit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non novi; dolere potero, potero flere, potero gemere : adversus arma, milites, Gothos quoque, lacrymæ meæ arma sunt : talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere; fugere autem et relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis gravioris pænæ metu factum interpretetur. Scitis et vos ipsi, quod soleam imperatoribus deferre, non cedere : suppliciis me libenter offerre. » Et post aliquanta : « Petrus quoque apostolus (Act. XII) utriusque rei vobis dedit exemplum. Nam ubi eum Herodes quæsivit et cœpit, recepit in carcerem. Non enim recesserat Dei servulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat, quod est indicium non timentis. Missus est angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus e carcere mortem ad tempus evasit. Idem Petrus postea victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitavit animos gentilium, quibus eum quærentibus Christianæ animæ deprecatae sunt ut paulisper cederet : et quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim ut ad instituendum et confirmandum populum se reservaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, et videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait : Domine, quo vadis? Respondit Christus : Venio Romam iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem possessione susceptæ mortis exuerat. *Quod enim mortuus est, peccato mortuus est semel : quod autem vivit, vivit Deo* (Rom. VI, 10). Intellexit ergo Petrus quod iterum Christus crucifigendus esset in servulo. Itaque sponte remeavit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum. Videtis igitur, quod in servulis suis

pati velit Christus. » Et paulo post : « Ego ipse non quotidie vel visitandi gratia prodibam, vel pergebam ad martyres? non regiam palatii prætexebam eundo atque redeundo? et tamen nemo me tenuit, cum exturbandi me haberent ut prodiderunt postea voluntatem, dicentes : Exi de civitate, et vade quo vis. Expectabam, fateor, magnum aliquid : aut gladium pro Christi nomine, aut incendium. At illi delicias mihi pro passionibus obtulerunt : sed athleta Christi non delicias, sed passiones suas exigit. Nemo ergo vos turbet, quod aut carrum præparaverant aut dura, ut videbatur sibi, Auxentii ipsius qui se dicit episcopum ore jactata. Plerique narrabant percussores præmissos, pœnam mortis esse decretam. Nec illa timeo, et ista non descero. Quo enim abibo, ubi omnia plena gemitus sint atque lacrymarum? » In historia Theodoriti (*lib. ix, c. 20*) legitur quia, dum de Ecclesia Ambrosius juberetur exire ait : Ego sponte hoc non ago, ne lupis ovium septa contradere, aut blasphemantibus Deum videar. Hic si placet occide. Hoc loco mortem prona suscipio voluntate.

CAP. XV. Igitur nobis non solum sequendum, sed et amplectendum est pro fide ac veritate, si contigerit, quod de se beatus dicit Ambrosius loquens ad Ecclesiam suam (*orat. in Auxent.*) : « Volens nunquam vos deseram, coactus repugnare non novi. Dolere potero, potero flere, potero gemere; aliter nec debeo, nec possum resistere. Fugere autem et relinquere Ecclesiam non solco. » Sic enim egerunt sancti prædecessores nostri, ut in ecclesiasticis historiis legimus, beatus Hilarius Pictavensis, Paulinus Treverensis, Dionysius Mediolanensis, Eusebius Vercellensis, Joannes Constantinopolitanus, et multi alii, quorum dicta et exempla usque hodie in sancta, florent Ecclesia, quorum, juxta Pauli vocem, *Intuentes exitum conversationis imitari debemus fidem atque exempla* (*Heb. xiii, 7*). Et de ita expulsis a sedibus suis episcopis pro fide et veritate, sicut præfati sancti episcopi expulsi imperiali crudelitate fuerunt, sacri canones Sardicenses dicunt (*can. 22*) : « Ut si aliquis episcopus vim perpressus est, et inique expulsus pro disciplina et catholica confessione, vel pro defensione veritatis, effugiens pericula innocens et devotus ad aliam venerit civitatem, non prohibeatur immorari, quandiu aut redire possit, aut injuria ejus remedium acceperit, etiam et larga benignitate humanitas ei est exhibenda. »

CAP. XVI. Et hinc sanctus Gregorius (*lib. i, epist. 45*) ad universos episcopos per Illyricum : « Fratres, inquit, coepiscoposque nostros, quos et captivitatis diversarumque necessitatum angustiae comprimunt, debetis consolandos convicturosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere : non quidem ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem sufficientiæ debeant alimenta percipere. Sic enim et proximum in Deo, et Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus,

sed tamen eos vestris contineri summopere hortamur. » Qualiter etiam, vel pro quibus causis episcopi Ecclesias suas sine detrimento ordinis ac animæ suæ ad tempus deserere valeant, sanctus Augustinus in epistola ad Honoratum episcopum (*ep. 180 in princip.*) inter cætera ostendit, dicens : « Restat ut nos, quorum ministerium quantulæcunque plebi Dei ubi sumus manenti ita necessarium est, ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino : *Esto nobis in Deum protectorem, et in locum munitum* (*Psal. xxx, 3*). Sed hoc consilium propterea tibi non sufficit ut scribis, ne contra Domini præceptum vel exemplum facere nitamur, ubi fugiendum esse de civitate in civitatem monet. Recolimus enim verba dicentis : *Cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam* (*Matth. x, 23*). Quis autem credat ita hoc Dominum fieri voluisse, ut necessario ministerio, sine quo vivere nequeunt, deserantur greges quos suo sanguine comparavit? Nunquid hoc fecit ipse, quando portantibus parentibus in Ægyptum parvulus fugit (*Matth. ii*), qui nondum Ecclesias congregaverat, quas ab eo desertas fuisse dicamus? Nunquid quando apostolus Paulus, ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est (*Act. ix*), et effugit manus ejus, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministerio, et non ab aliis fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est (*II Cor. xi*)? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecerat, ut se ipsum servaret Ecclesiæ, quem proprie persecutor ille quærebat. Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui ita non requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, id est, episcoporum et clericorum est commune periculum, ii qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquuntur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias volet perpeti. Quod si contigerit, ut sive alii majus, alii minus, sive omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui pro aliis patiuntur apparet, illi scilicet, qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem desererent manere maluerunt. Hinc maxime probatur illa charitas, quam Joannes apostolus commendat dicens (*I Joan. iii, 15*) : Sicut Christus animam suam pro nobis posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere. Nam qui fugiunt, vel suis devincti necessitatibus fugere non possunt, si comprehensi patiuntur, pro seipsis non pro fratribus utique patiuntur. Qui vero propterea patiuntur quia fratres, qui eis ad Christianam salutem indigebant, deserere noluerunt, sine dubio suas animas pro fratribus ponunt. »

CAP. XVII. Sic enim fecit sanctus Nicasius Rhe-

morum episcopus, qui tempore Vandalorum in persecutione generali suam non deseruit civitatem, et intra parietes ecclesie martyrio meruit coronari. Sic eodem tempore sanctus Anianus, sicut in sacris historiis legitur. Sic beatus Lupus, ut in ejus hymno canitur: Dum bella cuncta perderent, orando Treceas munit. Sic sanctus Remigius Rhemorum episcopus, superveniens Francis paganis in Belgicam dioceseos sue provinciam, Ecclesiam suam non deseruit, sed orationibus, et sanctis exemplis ferocitatem gentis perdomuit, et in verbis suis monstra placavit: et non solum provinciam suam a gladio gentili eripuit, verum et gentem paganam ad fidem Christi, cooperante gratia, convertit, et tria millia paganorum una cum rege in vigilia sancti Pasche ad gratiam baptismi perduxit, rite observans quod sanctus Gregorius in homilia Ezechielis prophete Danielis exponens sententiam (*hom. 5 in Ezech.*): *Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus.* « Hi enim, inquit, qui animarum custodes sunt, et pascendi gregis onera susceperunt, mulare loca minime permittuntur: sed quia uno in loco positi divinitatis in se presentiam portant et ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur. » Et hinc sanctus Augustinus in prefata epistola ad Honoratum episcopum (*epist. 180*) ad locum dicit: « Cur enim sibi putant indifferenter obediendum precepto, ubi legunt de civitate in civitatem esse fugiendum, et mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem et fugit, quoniam non est ei cura de ovibus? » Et paulo post: « Fugit Apostolus, cum a persecutore proprie ipse quaereretur, aliis utique necessitatem similem non habentibus, a quibus illic ministerium absit ut desereretur Ecclesie. Sic fugit sanctus Athanasius Alexandriae episcopus, cum eum specialiter apprehendere Constantius cuperet imperator. »

**CAP. XVIII.** Legimus etiam in epistolis magni Leonis papæ, quod cum Eutychniana hæresis in Orientalibus partibus conflagraret, ab imperatore idem apostolicus pontifex, sed et Hesperiarum partium pontifices ad universalem synodum fuerint evocati. Unde idem sanctus Leo, ut proprie ipsius verba ponamus, inter cætera rescripsit ad Theodosium Augustum (*epist. 17*): « Quamvis ad diem concilii episcopalis, quem pietas vestra constituit, occurrere me ratio nulla permittat, cum nec aliqua ex hoc exempla præcesserint, et temporalis necessitas me non patiatur deserere civitatem. » Et ad Pulcheriam Augustam (*epist. 13*): « Nam inquit, illud quod pietas imperatoris etiam me credidit debere interesse concilio, etiamsi secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quia rerum presentium nimis incerta conditio a tantæ urbis populis me abesse non sineret, et in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si per occasionem causæ ecclesiasticæ viderer patriam et apostolicam sedem velle deserere. Quia igitur ad publicam

utilitatem pertinuisse cognoscitis, ut salva clementiæ vestræ venia, charitati me et precibus civium non negarem, etc. » Et in epistola ad Martianum Augustum (*epist. 44*): Sacerdotes provinciarum omnium congregari presentis temporis necessitas nulla ratione permittit, quoniam illæ provinciæ, de quibus maxime sunt evocandi, inquietante bello, ab Ecclesiis suis eos non patiuntur abscedere. Et in Canonibus Africae provinciæ (*cap. 57, de episcopis Numid.*) legimus episcopos de Numidia provincia juste et rationabiliter excusatos, quia legatos ad universale concilium etiam pro communibus et ecclesiasticis negotiis non miserunt, quoniam tumultu tironum propriis necessitatibus in civitatibus suis, aut impediti, aut excusati remanserunt. »

**B CAP. XIX.** Hinc ergo est colligendum, si causæ fidei et generali ecclesiasticarum definitionum negotio civium charitas, quæ attestante Apostolo major est fide (*I Cor. xiii*), præponi debet, sicut verbis sancti Leonis et sacrorum canonum demonstratur, utrum pro quacunque alia causa Ecclesias et oves nobis commissas sine periculo valeamus dimittere, et in alias quascunque partes secedere. Denique cum partem Imperii contra Theodosium et Valentinianum Maximus usurpavit et cogeret episcopos vel contra fidem agere, vel Ecclesias suas deserere, aut alio quolibet modo persequi, sanctus Martinus ejusdem Maximi presentiam et colloquium non declinavit, minime autem Ecclesiam suam deseruit. Sed cum plures ex diversis partibus episcopi ad Maximum ferocis ingenii virum et bellorum civilium victoria elatum convenissent, et sæda circa principem omnium adulatio notaretur, in solo Martino apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperavit potius quam rogavit, et a convivio ejus frequenter rogatus abstinuit, dicens se mensæ ejus participem esse non posse, qui imperatores, unum regno, alterum vita expulisset. Postremo, cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi a militibus divino nutu regni necessitatem armis defendisse, et non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuisset, nullumque ex adversariis nisi in acie occubuisse, tandem victus vel ratione vel precibus ad convivium venit.

**C CAP. XX.** Et item in vita illius scriptum est ita (*Severus, dial. II, cap. 6*): « Quo tempore primum episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum major rerum potiebatur. Is cum Martinum ea petere cognovisset quæ præstare nolebat, jussit eum palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem ac superbum uxor accesserat Ariana, quæ totum illum a sancto viro, ne ei debitam reverentiam præstaret, averteret. Itaque Martinus, ubi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentavit, recurrit ad nota præsidia. Cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationes diebus noctibusque perpetuat. »

Et post aliquanta: «Nec exspectatis Martini precibus, prius omnia præstitit quam rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adscivit.» Et paulo post (*cap. 8*): «Maximus imperator rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, si ei vel diadema non legitime tumultuante milite impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum sæpius evocatum receptumque intra palatium venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo sermo, de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate sanctorum, cum interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, evangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla unquam femina contigisset, istius assiduitatem, imo potius servitatem, non poterat evadere. Non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli a Martini pedibus solo strata non poterat; postremo a viro suo poposcit, deinde Martinum uterque compellunt, ut ei, remotis omnibus ministris, præberet sola convivium; nec potuit vir beatus obstinatius reductari. Componitur castus reginæ manibus apparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat, cibum quem ipsa coxerat apponit.» Et reliqua, quæ lector in suis locis plenius invenire valebit.

**CAP. XXI.** Sanctus Ambrosius cum imperatoribus suis Theodosio et Valentiniano agebat, et legationem ad Maximum ab imperatore suo Valentiniano suscepit (*ep. 27*). Quam qui voluerit scire quomodo strenue peregerit, et qualiter Maximum redarguerit, nec tamen ejus colloquium declinaverit, legat librum ipsius, quem de legatione sua exsecuta ad eundem Valentinianum conscripsit. Verum, sicut in vita beati Ambrosii a sancto Paulino postea Nolano episcopo scripta legitur, egresso Theodosio de Italia, et Constantinopoli constituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, Eugenius tyrannice imperium usurpavit, et aram Victoriæ, et sumptus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in minoribus annis constitutus petentibus denegaverat, oblitus fidei suæ, concessit. Hoc ubi Ambrosius cognovit, relicta civitate Mediolanensi, ad quam Eugenius festinato veniebat, ad Tusciam usque descendit, declinans magis aspectum sacrilegi viri, quam formidans imperantis injuriam. Nam et epistolam ad eundem dedit, in qua convenit conscientiam illius de sacrilegio: cujus aspectum atque colloquium non declinavit pro usurpatione imperio, sed pro admissio sacrilegio.

**CAP. XXII.** Sic secuti sunt beatus Martinus, atque S. Ambrosius sententiam apostoli Pauli dicentis: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem et redarguite* (*Ephes v, 11*). Hinc beatus Augustinus (*de verbis Domini serm. 18*): «Duobus, inquit, modis non te maculat malus: si ei non consentias, et si redarguas. Hoc est non communi-

care, non consentire. Communicatur quippe, quando facto ejus consortium voluntatis vel approbationis adjungitur. Videte quemadmodum Apostolus utrumque complexus est: Nolite communicare, magis autem et redarguite (*I Cor. x*). Quid est, nolite communicare? nolite consentire, nolite laudare, nolite approbare. Quid est, magis autem et redarguite? reprehendite, corripite, coercete. Deinde in ipsa correctione, vel coercitione alienorum peccatorum cavendum est, ne se extollat, qui alterum corripit, et apostolica illa cogitanda sententia: Quapropter qui se putat stare, videat ne cadat. Foris terribiliter personet increpatio, intus lenitatis teneatur dilectio. Neque ergo consentientes simus malis ut approbemus, neque superbientes ut insultanter arguamus.»

**B** Hæc sunt quæ sancti prædecessores ac patroni nostri secundum tramitem sanctarum Scripturarum juxta episcopale ministerium egerunt, et nobis in hujusmodi anxietatibus positæ agenda atque sequenda suis posteris reliquerunt.

**CAP. XXIII.** Cæterum qualiter et per quos agendum sit ergo eos, qui regnum regis invadunt, veridicè monstrant historiæ (*tripart. lib. ix, cap. 21*). Ait enim Theodoretus: «Cumque audisset Maximus quæ rursus contra Ambrosium magniloquum prædicatorem veritatis agerentur, scripsit Valentiniano ut bellum quod agebatur contra Ecclesias solveretur, monens ut paternam non amitteret pietatem, adjecitque etiam minas belli, et nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, ubi tunc ille degebat. Porro Valentinianus agnoscens ejus invasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscens quæ mala matris consilio sustineret. Porro Theodosius audiens quæ a Justina fuerant gesta, et a tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit non esse mirandum, si imperatori quidem terror, tyranno vero potestas accresceret, cum imperator impietati rebelli exstitisset, tyrannus autem ei auxilia commodaret, et propterea ille quidem fugeret nudus, iste vero armaretur adversus nudum.» Et Socrates (*ibid., cap. 23*): «Verum imperator Theodosius dum tyrannum aggrediretur, cognoscentes Maximi milites præsentiam instructionis imperialis, et signorum ejus adventum, ne famæ quidem ipsius impetum sustinere valuerunt, sed apprehendentes tyrannum vincitum ei protinus obtulerunt, qui eorum consulatu peremptus est septimo et vicesimo die Augusti mensis.»

**CAP. XXIV.** Et in historia vitæ beati Ambrosii a sancto Paulino conscripta legitur: «Profectus itaque sacerdos de Thuscianis partibus Mediolanum revertitur, jam inde egresso Eugenio contra Theodosium imperatorem, ibique Christiani imperatoris præstolabatur adventum, securus de Dei potentia, quod non traderet credentem in se hominibus injustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem justorum, ne extenderent justi ad iniquitatem manus suas. Promiserat enim Argobastes tunc comes, et Fabianus præfectus, Mediolano egredientes, cum victores reverterentur, stabulum se esse factu-

ros in ecclesia Mediolanensi, atque clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines, cum demum male creduli sunt, et aperiunt os suum in blasphemiam contra Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia numera imperatoris, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus, qui Ecclesiam suam tueri consuevit, de celo jaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum imperatorem transtulit Theodosium. »

CAP. XXV. Si quærit denique aliquis cur sanctus Martinus ac beatus Ambrosius Maximum, qui duos Imperatores, alterum vita, alterum regno expulit, a corpore et sanguine Domini non excommunicaverint, sed tantum redarguerint, et beatus Ambrosius Eugenium tyrannum et sacrilegum non excommunicavit, sicut religiosum et christianum imperatorem Theodosium pro excessu notissimo, accipiat de catholicorum et notissimorum virorum doctrina sibi redditam rationem. Ait enim beatus Ambrosius de obitu Theodosii inter cætera : « Dilexi, inquit, virum, qui magis arguentem quam adulantem probaret. Stravit omne, quo utebatur, insigne regium, deflevit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat, gemitu et lacrymis oravit veniam. Quod privati erubescunt, non erubuit imperator, publice agere pœnitentiam : neque ullus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit a consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratiam aliorum experiretur adventu. »

CAP. XXVI. Ex hoc manifesta ratio satisfacit quærenti, videlicet, quia pœnitentia non coacta sed voluntaria proficit pœnitenti, sicut scriptum est : *Voluntarie sacrificabo tibi (Psal. LIII, 8); et : ex voluntate mea confitebor illi (Psal. XXVII, 7).* Et in Exodo legimus (Exod. XXV), quia viri cum mulieribus, quidquid in cultu, in ornamento tabernaculi necessarium erat, voluntarie obtulerunt : interque donaria et pili caprarum dinumerantur. Per pilos enim caprarum, quibus cilicium conficitur, pœnitentia designatur, sicut in Evangelio Dominus demonstrat, dicens civitati reprobæ : *Si in Tyro et Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio et cinere pœnitentiam egissent (Matth. XII, 21).* In cilicio quippe asperitas et punctio peccatorum in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum. Et idcirco utrumque hoc ad pœnitentiam adhiberi solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quod per culpam fecimus, in favilla cineris perpendamus quid per iudicium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens justa pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicii superbiendo quid fecit, videat in cinere quousque peccando perver-

A CAP. XXVII. Cur autem sanctus Martinus et sanctus Ambrosius predictos invasores imperii non excommunicaverint a corpore et sanguine Domini, et communem cibum cum eis sumpserint, sanctus Augustinus respondeat in libro de Pœnitentia (homil. 50) : « Nos, inquit, a communione quemquam prohibere non possumus, quamvis hæc prohibitio nondum sit mortalis, sed medicinalis, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo sive sæculari, sive ecclesiastico iudicio nominatum atque convictum. Quis enim sibi utrumque audeat assumere, ut cuiquam ipsi sit accusator et iudex? Cujusmodi regulam etiam Paulus apostolus in Epistola ad Corinthios breviter insinuasse intelligitur, cum quibusdam talibus commemoratis criminibus ecclesiastici iudicii formam ad omnia similia ex quibusdam daret, Ait enim *Scripti vobis in epistola, non commisceri fornicariis : non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut raptoribus, aut idolis servientibus : alioquin debueratis de hoc mundo exisse (I Cor. V, 9).* Non possunt enim homines in hoc mundo vivere nisi cum talibus vivere : nec eos possunt lucrifacere Christo, si eorum colloquium, convictumque vitaverint. Unde et Dominus cum publicanis et peccatoribus comedens : *Non est opus, inquit, sanis medicus, sed male habentibus. Non enim veni vocare justos, sed peccatores (Matth. IX, 12).* Et ideo sequitur Apostolus, et adjungit : Nunc scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur in vobis aut fornicator, aut idolis serviens, aut avarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum hujusmodi nec quidem cibum simul sumere. Quid enim mihi de his qui sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos iudicatis? de his autem qui foris sunt Deus iudicabit. Auferite malum a vobis ipsis. Quibus verbis satis ostendit non temere et quomolibet, sed per iudicium auferendos esse malos ab Ecclesiæ communione : ut si per iudicium auferri non possunt, tolerantur potius, ne perversæ malos quisque evitando, ab Ecclesia ipse discedens, eos quos fugere videtur vinciat ad gehennam. Quia et ad hoc nobis sunt in Scripturis sanctis exempla proposita, vel in messe, ut paleæ suffragantur usque ad ultimum ventilabrum, vel intra illa relis, ubi pisces boni cum malis usque ad segregationem, quæ futura est in littore, hæc est in fine sæculi, æquo animo tolerantur. »

D CAP. XXVIII. Et in libro de Baptismo (lib. VII, cap. 45) : « Joannes dicit alienæ doctrinæ hominibus Ave non esse dicendum (II Joan. I, 10) : Paulus autem apostolus vehementius dicit : *Si quis frater nominatur inter vos, aut avarus, aut ebrius, etc., cum hujusmodi nec quidem cibum simul sumere (I Cor. V, 11).* Et tamen cum collegis feneratoribus, insidiosis, fraudatoribus, raptoribus, non privatam messam, sed Dei altare habebat commune Cyprianus. » Et in Tractatu psalmi (in psal. LII) : « Diligamus inimicos, corripiamus, castigemus, et excommunicemus cum dilectione, a nobis etiam separemus. Videte enim quid dicat Apostolus : *Si quis autem non obediit verbo*



nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo (II Thess. v.) Sed ne subriperet tibi ex hoc iracundia; et turbaret oculum tuum, Non, inquit, ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem ut erubescat : a quo indixit separationem, non precidit dilectionem.» Et alibi (psal. c, 5, August. in psal. c) : *Superbo, inquit, oculo et insatiabili corde, hinc non convalescebar* : id est, non cum illo manducabam. Quomodo nobis proponit hæc quando ipse non fecit? Ad imitationem suam nos hortatur : videmus eum convivatam esse cum superbis, quomodo nos prohibet ne convivemus cum eis? Nos quidem, fratres, propter correptionem aliquam teneamus nos etiam a fratribus nostris, et non cum eis convivamus, ut corrigantur. Cum extraneis potius convivamus, et cum paganis, quam cum his qui nobiscum erant, et nobis adhærent, si viderimus eos male vivere, ut erubescant et corrigantur, sicut dicit Apostolus : Si quis non obaudit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et nolite commisceri cum eo, et non ut inimicum eum existimetis, sed corripite ut fratrem (I Cor. v). Facimus hoc plerumque propter medicinam, et tamen cum extraneis multis et cum impiis sæpe vescimur. »

CAP. XXIX. Et item in Tractatu psalmi (in psal. c, vers. 2) : « Respice ad munera ipsius Ecclesie, munus sacramentorum in baptismo, in eucharistia, in cæteris sanctis sacramentis, quale munus est? hoc munus adeptus est et Simon magus. Prophetia quale munus est? prophetavit et Saul malus rex; et tunc prophetavit cum David sanctorum persecuteretur.» Et item in serm. Evang. Joannis (serm. 50, in Joan.) : « Talis erat Judas, et tamen cum sanctis discipulis intubam intrabat et exibat. Ad ipsam cœnam Dominicam pariter accessit, conversari cum eis potuit, esse inquit non potuit. De uno pane et Petrus accepit et Judas, et tamen que pars fidei cum infidei? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. Quomodo enim ille odor bonus, sic ille cibus bonus. Sicut ergo odor bonus, ita et cibus bonus, bonos vivificat, malos mortificat. Qui enim manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit : judicium sibi, non tibi. Si judicium sibi, non tibi, tolera malum bonus, ut venias ad præmium bonorum, ne mittaris in penam malorum. »

CAP. XXX. Et in Tractatu psalmi (August. in psal. cxviii) : « Quomodo multos Judas implet Satanas indigne accipientes buccellas ad judicium suum? qui enim manducabat et bibit indigne, judicium sibi manducabat et bibit (I Cor. ii). Non malum est quod datur, sed bonum male in judicium datur. Bene esse non potest male accipienti quod bonum est.» Et in sermone de verbis Apostoli (serm. de spiritu blasphemie) : « Illud etiam quod ait : Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo (Joan. vi, 57), quomodo intellecturi sumus? Nunquid etiam illos hic poterimus accipere, de quibus dicit Apostolus quod judicium sibi manducant et bibant; ut ipsam carnem manducant, et

ipsam sanguinem bibant? Nunquid et Judas magistri venditor, et traditor ipsius, quamvis ipsum primum manibus ejus confectum sacramentum carnis et sanguinis ejus cum cæteris discipulis, sicut apertius Lucas evangelista declarat, manducaret et biberet, mansit in Christo, et Christus in eo? Multi denique, qui vel corde sicut carnem illam manducant, et sanguinem bibunt, vel cum manducaverint et biberint apostatae sunt, nunquid manent in Christo, aut Christus in eis? Sed profecto est quidam modus manducandi illam carnem, et bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit et biberit, in Christo manet, et Christus in eo. Non ergo quocumque modo quisque manducaverit carnem Christi, et biberit sanguinem Christi, manet in Christo, et in illo Christus, sed certo quodam modo, quemadmodum utique ipse videbat, quando ista dicebat. »

CAP. XXXI. Et in epistola concilii ad Donatistas (tom. VII, S. August. epist. 152) : « Quisquis in hac Ecclesia bene vixerit, nihil ei præjudicant aliena peccata, quia unusquisque in ea proprium onus portabit, sicut Apostolus dicit : Et quicumque in ea corpus Christi manducaverit indigne, judicium sibi manducat et bibit. Nam etiam hoc ipse Apostolus scripsit. Cum autem dicit, Judicium sibi manducat, satis ostendit quia non alteri judicium manducat, sed sibi, quia communio malorum non maculat aliquem participatione sacramentorum, sed consensione factorum. Nam si in factis malis non eis quisque consentiat, portat malum causam suam, et personam suam, nec præjudicat alteri, quem in consensione mali operis socium non habet criminis. »

CAP. XXXII. Verumtamen legimus in vita beati Ambrosii a beato Paulino scripta, cum a communionis consortio Maximiani segregasse, et adhibuisse illam, ut effusi sanguinis domini sui, et quod est gravius, innocentis, ageret penitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cum penitentiam declinat superbo spiritu, non solum salutem, sed etiam presentem salutem amisit, regnumque, quod male arripuerat, sentino quodam timore deposuit, ut procuratorem se reipublice nomine præstitisse confiteretur. Et in epistola ad Eugenium scripsisse beatum Ambrosium (in eadem Vita) : « Quomodo, inquit, meis vocibus, et apud Deum, et apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere, nisi consulere mihi, quia non potui tibi. » Cujus verba decretissima atque saluberrima sequentes nos episcopi domini nostri Karoli, si acciderit ut consulere ei non possimus, sicut cupimus, in temporali sui regni defensione atque tutione, et consulamus illi in debita fidei observatione, consulamus et nobis, Dei cooperatione, in debita fidei erga illum observatione, et continua mentis devotione, atque pro eo apud Deum et sanctos ejus obsecratione : consulamus et nobis, ne pro quacunque cupiditate, vel temporali commotamento, ab illius

debita fide exorbitantes, quemquam in illius regnum missis vel episcopis vel quibuscuque internuntiis, invitemus, nec pro abbatibus vel honoribus temporalibus, atque rebus vel facultatibus nos vendemus, Judæ similes effecti, qui abiens ad Judæos dixit: *Quid vultis mihi dare, et ego vobis cum tradam?* (Matth. xxvi, 15).

CAP. XXXIII. Est etiam, quoniam ab alio quocumque juste et rationabiliter credi non poterimus neque debemus, si quocumque terreno lucro vel illata injuria, salva in Deum fide, seniori nostro fidem non servaverimus. In veteri namque populo Samuel propheta, cujus locum in Ecclesia nunc tenent episcopi, adeo, ut sacra prodit historia, Saul regem pro peccatis suis a Domino reprobatum luxit, ut dixerit ei Deus: *Usquequo tu luges Saul, cum ego abjecerim eum* (I Reg. xvi, 1)? Et David vir bellicosus, et unus de primoribus Saul, et etiam gener ejus, qui in multis non solum regi, sed et regno profuit, et non tantum bellis contra adversarios Saul et regni ejus egit, sed et ipsum regem vexatum a maligno spiritu blandis obsequiis delinibat, quæsitus frequentissime a rege ut occideretur, servans fideliter quod de proposito rege et domino dixerat: *Imposuisti homines super capita nostra* (Psal. lxxv, 12), dominum et regem ipsum persecutorem suum vocabat, et cum sæpe habuerit opportunitatem ut illum posset occidere, non solum non occidit, sed et socios ab ejus occisione compescuit, dicens: *Absit ut mittam manum in christum Domini, quia unctus Domini est* (I Reg. xxiv, 11). Et quia, ut signum posset ostendere, quem locum habuerit ut valeret illum occidere, abscidit oram chlamydis ejus, et in se reversus percussit cor suum, eo quod scævaverat vestem domini sui.

CAP. XXXIV. Unde beatus Gregorius in regula Pastoralis dicit (Past. III, c. 5): « Admonendi sunt subditi, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic, si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si factum David ad medium deducamus. Saul quippe persecutor cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque cum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamydis ejus abscidit. Quid enim per Saul nisi mali rectores, quid per David nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare; et quasi oram chlamydis præsalii silenter incidunt, quia videlicet, dum præfata dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant. Nam cum in

A præpositis delinquimus, ejus ordinationi qui eos nobis prætulit obviamus. »

CAP. XXXV. Consulamus etiam, quantum, adjuvante Domino, poterimus, sociis et commilitonibus nostris, exhortantes eos, ut fidem debitam erga eum observent, et si qui fuerint, ut audimus, qui dicant quod omne regnum in manu sua et suorum specialium tenet, de quibus nemo per servitium, vel per defensionem et utilitatem regni nisi per pretium obtinebit, et nisi per pretium obtenta tenebit: et nemo, sicut nec de honoribus, ita nec de familiaritate, in eum potest habere fiduciam, cum omnes quos deliciosos et familiares habuerit, exosos dehonorerit atque abjecerit: et qui impropere ecclesiasticis viris, quod nemo sic Ecclesias per diversa ingenia oppresserit, atque despoliaverit, licet quædam de rebus pretio suscepto contulerit, et regnum sic omne vendiderit, de Domini fidei misericordia prætalibus quærentibus proponamus, quia, si illum Deus reverti cum prosperitate fecerit, quod bene cœpit et egit perficiet. Et, quia non est homo in terra, qui facit bonum, et non peccet (Eccle. vii, 21), mutabitur in virum alium, et hæc erit mutatio dexteræ Excelsi. Scriptum est enim: *Verte impios, et non erunt* (Prov. xii, 7): non quia non erunt in essentia, sed quia non erunt in impietatis culpa, sicut Paulus apostolus de seipso dicit: *Vivo autem, jam non ego, vivit vero in me Christus* (Gal. ii, 20). Exstinctus quippe fuerat scævus ille persecutor, et vivere cœporat pius prædicator.

CAP. XXXVI. Consulamus etiam ei, si forte quis fuerit, qui in absentia ejus regnum ipsius molitur subripere, ut moncamus eum de sacramentis inter se et seniores nostrum factis, quæ rex noster se servare velle fatetur, et proponamus ei sententiam Domini prolatam per Jeremiam prophetam contra Sedechiam, qui juravit Nabuchodonosor gentili regi in nomine Domini: *Propterea, inquit Scriptura, juramentum quod sprevit, et scævus quod prævaricatus est, ponam in caput ejus* (Ezech. xvii, 19). Unde Hieronymus: « Ne putaremus, inquit, juramentum, et scævus, et pactum, regis esse Babylonii, vel Sedechiæ qui fecerat, sequitur: *In prævaricatione qua despexit me*. Ergo qui contemnit juramentum, illum despicit, per quem juravit: illique facit injuriam; cujus nomini credidit adversarius. Propter quam causam: *Expandam, inquit, super eum rete meum, et comprehendetur sagena mea, et adducam eum in Babylonem, et judicabo eum illic*. Quidquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cujus nomine fuerat pejuratum. » Legimus enim Sedechiam captum ductum esse in Reblatha (IV Reg. xxv), ibique interfecit filios excæcatum, et instar feræ clausum cavea translatus in Babylonem: et de gravissima perjuri vindicta manifestum et gravissimum peccatum esse perjuri, sicut et sanctus Augustinus in libro ad consulta Hilarii monstrat (ep. 99, in fine).

CAP. XXXVII. Si autem et contra præpositum

agentibus consulere non potuerimus, secundum verba beati Ambrosii consulamus nobis, ne aus quacunq̄ cupiditate, vel adulatione, vel latione, vel communicatione, unde vituperetur terium nostrum, et perdamus nomen bonum, Apostolica regula habere jubet episcopum, ab his qui foris sunt (I Tim. III, 7). Videlicet, servenerit rex alius in regnum senioris nostri, si fuerit militaris manus quæ ei resistat, sequantur episcopi, et in ordinatione ordinis nostri, et in servatione fidei ergo seniore nostrum, p̄ vestigia, et in receptione, et in cæteris, munus ionis erga superventurum regem, videlicet in latione. Legimus enim sanctum Basilium cum suo supervenientem etiam Julianum apostatam ab illo recepisse, et non ob id ab orthodoxæ regula deviasse, sed quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ Dei sunt reddidisse. Sed et de Missarum roniis ac sacra altaris communione, verum et in communis mensæ, atque altaris sacramentorum participatione satis sufficienter supra de Predictis ostendimus.

. XXXVIII. De militia quoque ac vectigalibus, iuxta morem antiquorum et solitum, secundum ritum ac qualitatem Ecclesiarum nobis communem, solet exigere, beati Ambrosii verbis uti, et sequi debere putamus, quibus dicit in sermone quem de persecutione sua ad populum orsus est. in *Auxentium de Basilicis*, dicens : « Videntur peiores Ariani sunt quam Judæi. Illi habent, utrum solvendum putaret Cæsari jus, isti Imperatori volunt dare jus Ecclesiæ. Et perfidi suum sequuntur auctorem, ita et nos Dominus et auctor noster docuit respondere. Considerans enim Jesus dolum Judæorum ad eos : Quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Et cum dedissent, dixit : Cujus imaginem habet inscriptionem? Respondentes dixerunt : Cæsaris. Et ait illis Jesus : *Reddite quæ sunt Cæsaris ei, et quæ sunt Dei Deo* (Matth. XXII, 21). Ergo dico illis, qui mihi objiciunt : Ostendite mihi denarium. Jesus Cæsaris denarium vidit et ait : *Te Cæsari quæ Cæsaris sunt, et quæ Dei sunt reddite. Unquid de Ecclesiæ basilicis occupandis posueris denarium offerre Cæsaris? Sed in Ecclesia unam imaginem novi, hoc est : imaginem Dei invisibilis, et dixit Deus : *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (Gen. I, 26), illam imaginem de qua scriptum est : Quia Christus splendor Dei, et imago substantiæ ejus (Hebr. I, 3). In ista imagine Patrem cerno, sicut dixit ipse Dominus : *Qui me vidit, vidit et Patrem* (Joan. XIV, 9). Et tamen hæc imago a Patre est separata, quæ unum me docuit Trinitatis, dicens : *Ego et Pater unum sumus*. Et infra : *Omnia quæcunque habet Pater mea sunt* (Joan. X, 30). Et de Spiritu sancto, quia Spiritus Christi sit, et de Christo accepit scriptum est : *Ille de meo accipiet, et ambulabit vobis* (Joan. XVI, 14). Quid igitur? non hu-*

militer responsum a nobis est? Si tributum petit, non negamus : agri Ecclesiæ solvunt tributum. Et sanctus Augustinus in libro de Catechizandis rudibus (cap. 21) : « Dicit et apostolica, inquit, doctrina (Rom. XIII, 1), ut omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, et ut reddantur omnibus omnia, cui vectigal vectigal, et cætera, quæ salvo Dei nostri cultu constitutionis humanæ principibus reddimus, quando et ipse Dominus, ut nobis hujus sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis quo erat indutus, tributum solvere non dedignatus est (Matth. XVII, 26). Jubentur autem etiam servi Christiani, et boni fideles, dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterque servire (Ephes. VI, 5) : quos judicaturi sunt, si usque in finem inimicos invenerint, aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si et illi ad verum Dominum conversi fuerint. Omnibus tamen præcipitur servire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum quod significant septuaginta anni, ab istius sæculi confusione, tanquam de captivitate Babylonis, sicut Hierusalem liberetur Ecclesia. » Et sanctus Ambrosius in sermone ad populum (ep. 13 ad Marcellin.) : « Allegatur, inquit, imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo, noli te gravare, imperator, ut putes te in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est : *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari* (Matth. XXII, 21). Ad imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem ecclesia. Publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum. »

CAP. XXXIX. Et sanctus Gelasius in epistola (epist. 10) ad Anastasium imperatorem : « Duo sunt, inquit, imperatores auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas : in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet præsideas humano generi dignitate, rerum tamen præsulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuæ salutis expetis : inque sumendis cælestibus sacramentis, eisque ut competit disponendis, subditi te debere cognoscis religionis ordine potius quam præesse. Nosti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. » Et sanctus Ambrosius in sermone ad populum de persecutione sua (epist. 13) : « Convenior ipse a comitibus et tribunis, ut basilicæ fieret matura traditio, dicentibus imperatorem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent omnia. Respondi, si me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, jus hujusmodi meum non refragaturum, quanquam omnia quæ mea sunt essent pauperum : verum ea quæ divina, imperatoris potestati non esse subiecta. » Et in alio sermone (orat. in Auxent.) : « Me, si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris esset

libenter offerre : templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud quod custodiendum non tradendum acceperim. Deinde consulere me etiam imperatoris salutem, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem libri sacerdotis, si vult sibi esse consultum, recedat a Christi injuria, Hæc plena humilitatis sunt, et, ut arbitror, plena affectus ejus quem imperatori debet sacerdos. »

CAP. XL. In his beati Ambrosii sententiis attendenda est discretio canonica de facultatibus, tam episcopi, quam Ecclesiæ. Aiunt enim sacri canones ut quæ sunt Ecclesiæ, sub omni sollicitudine, et conscientia bona, et fide quæ in Deum est, qui cuncta considerat iudicatque, serventur : quæ etiam dispensanda sunt iudicio et potestate pontificis cui commissus est populus, et animæ quæ intra Ecclesiam congregantur. Manifesta vero sunt quæ pertinere videntur Ecclesiæ, cum notitia presbyterorum et diaconorum, qui circa ipsum episcopum sunt, ita ut cognoscant, nec ignorent, quæ sint Ecclesiæ propria, nec eos aliquid lateat : ut si contigerit episcopum migrare de sæculo, certis existentibus rebus quæ sunt Ecclesiæ, nec ipsæ collapsæ depereant, nec quæ propria probantur episcopi sub occasione rerum pervadantur Ecclesiæ. Justum namque et acceptum est coram Deo et hominibus, ut sua episcopus quibus voluerit derelinquat, et quæ Ecclesiæ sunt eidem conserventur Ecclesiæ, ut nec Ecclesia aliquod patiatur incommodum, nec episcopus sub occasione proscribatur Ecclesiæ.

CAP. XLI. Et sicut episcopus et suas et ecclesiasticas facultates sub debita discretione in vita sua dispensandi habet potestatem, ita facultates Ecclesiæ viduatae post mortem episcopi penes æconomum integræ conservari jubentur futuro successoris ejus episcopo, quoniam res et facultates ecclesiasticæ, non in imperatorum atque regum potestate sunt ad dispensandum, vel invadendum, sive diripiendum, sed ad defensandum atque tuendum. Sunt enim sancturia, et hæreditas Domini, sicut et in Veteris et Novi testamenti sanctarum Scripturarum paginis legimus. Sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Et non solum in vectigalibus stipendiariis militiæ et Ecclesiis debitis regibus de-

servire jubemur, verum et in orationibus, sicut sanctus Augustinus in libro de Civitate Dei ostendit (lib. xix, c. 26 et 27). « Quamdiu, inquit, permistæ sunt ambæ civitates (scilicet Hierusalem, hoc est Ecclesiæ, et Babylon, quæ est mundana potestas), utimur et nos pace Babylonis : ex qua ita per fidem Dei populus liberatur, ut apud hanc interim peregrinetur. Propter quod et Apostolus admonuit Ecclesiam, ut oraret pro regibus ejus atque sublimibus, addens et dicens, ut quietam et tranquillam vitam agamus cum omni pietate et castitate. Et propheta Hieremias cum populo veteri Dei venturam prænu-tiaret captivitatem, et divinitus imperaret, ut obedienter in Babyloniam irent Deo suo etiam ista patientia servientes, monuit et ipse ut oraretur pro illa, dicens quia *in pace ejus erit pax vestra* (Jerem. xxix, 7), utique interim temporalis, quæ bonis malisque communis est. Pax autem nostra propria hæc est cum Deo per fidem, et in æternum erit cura illo per speciem. » Pro quibus apostolus Paulus jubet orari, etiam cum persequerentur Ecclesiam. Si enim dicit : « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate. » Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quamvis ista non esse faciendâ æstimaret humanæ cogitationis infirmitate pro his a quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cum membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Unde adjungit, et dicit : *Hoc enim bonum est, et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (1 Tim. 1, 2).

CAP. XLII. Si denique rex noster fuerit, annuente Deo, reversus, recipiamus eum cum gaudio, et de sibi ac Ecclesiæ atque regno necessariis in postmodum procurare episcopaliter illum commoneamus, et prosperitati suæ congaudeamus. Si vero, quod non optamus, aliter iudicio Dei contigerit, devotionem ac fidem debitam erga illum sinceriter custodientes, sicut scriptum est, dicamus corde, dicamus et ore Domino : *Exsultaverunt filie Judæ, id est confessionis humillimæ, in omnibus judiciis tuis, Domine* (Psal. xcvi, 8).

## VII.

### AD LUDOVICUM BALBUM REGEM.

*Novi regis instructio ad rectam regni administrationem*

(Apud eundem, ex edit. Mogunt. J. Busæi.)

Domino Ludovico regi glorioso sit semper salus et vita.

CAP. I. Dominatio vestra mihi mandavit, ut ad vos festinarem venire, quia mecum de vestris, et sanctæ Ecclesiæ, ac regni utilitatibus tractare velle-

tis : unde vobis humili ac certa responsione satisfactionem exhibeo. Sanctus Apostolus dicit (Rom. xv, 4) : Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt. Legimus in antiquis historiis, quia sæpe, quando reges constituti sunt, inter, regni pri-